21.
22

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,

Exhibens

SCRUTINIUM DYSENTERIÆ MALIGNÆ,

Epidemicè nunc graſſantis,

Quam

DEO TRINUNO AUSPICE,

RECTORE HUJUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,

DOMINO

PHILIPPO WILHELMO,

S.R.I. COMITE de BOINEBURG,

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO & CAMERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLESIARUM, MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORIIque ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE &c.&c.

DOMINO NOSTRO GRATIOSISSIMO,

CONSENSU & AUTORITATE AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS,

SUB PRÆSIDIO

VIRI Præ-Nobiliſſimi, Ampliſſimi & Experientiſſimi,

DN. JOANNIS PHILIPPI EYSELII,

Med. Doct. Anatom. Chirurg. & Botan. Prof. Publ. Facult. Med. Aſſeſſoris graviſſimi, p. t. DECANI, P. L. C.

DN. PATRONI & PROMOTORIS ac HOSPITIS ſui omni obſervantiæ cultu proſequendi,

PRO LICENTIA

Summos in MEDICINA HONORES & INSIGNIA DOCTORALIA ritè impetrandi,

publicæ & placidæ Eruditorum Cenſuræ exponet

ERNESTUS FRIDERICUS MARTINI, Züllichio-Sileſius,

d. 27. Septembr. Anno 1709.

In Auditorio Majori, Horis conſuetis.

Erffordiæ, Typis JOH. HEINRICI GROSCHII, Academiæ Typographi.

J. J.

PROŒMIUM.

QVod *celeberrimus* RICHARDI MORTON, Regii Collegii Medici Londinenſis Socius & Cenſor in ſua Pyretologia, ſive Tractatu de morbis acutis univerſalibus pag. 16. aſſerit, *quod ſcilicet ſemen morborum horum ſit heterogeneum quid, ſenſu vix perceptibile, non rarò autem vi venenata & planè deleteriâ prœditum, totâ ſuâ natura flammæ vitali contrarium & inimicum, atque ad eandem ex-*

extingvendam vel ſupprimendam aptum; ſive intus ſenſim generatum fuerit, ſive à veneno aſſumto, morſu viperæ vel aëre contagioſo in corpus admiſſum. Cujus vis deleteria, ſi adeò præpolleat, ut flammam vitalem penitus obruere poſſit, æger ſtatim alget & lipothymicus perit. Natura contra non certante, utpote à vi ſuperiori jam planè evicta, quod non rarò in conſtitutione aëris peſtilentiali ac Epidemica contingit; Illud ipſum hoc noſtro tempore, ubi Bellona & Morbona in permultis diſtantibus ac vicinis locis vehementer & inuſitata formidine furit, dum infantibus fœdæ inſultaverunt variolæ: oculis ſeſe offerunt petechiales efflore-ſcentiæ, malignæ radici vitæ etiam num inſidiantur, & modo cerebri a-

ctiones

ctiones turbant, modò prunellâ fauces incruſtant, modo dyſenteriæ adeò malignæ, ut urbes penitꝰ devaſtent & depopulentur, cum ſtupendis ſymptomatibus peſti vix ac ne vix cedentibus. Omnes quidem affectus modo recenſiti conſideratione digni eſſent, in præſenti verò contenti erimus, ſcrutinium Dyſenteriæ ſolummodo Epidemicè in variis locis tam remotis quam vicinis formidoloſè graſſantis, Eruditorum cenſuræ ſubjicere, & de ejus natura & Curatione brevem, ſupremo adſpirante Zephoniô! inſtituemus diſſertationem.

§. I.

UT autem conſuetam in Diſputationibus conſcribendis methodum ſervemus, primum oriendum erit à Definito ſeu vi nominis, quod primum benè intelligendi eſt principium, poſt hinc ad realia, & quæ ſerie decenti ſeſe invicem ſubſequi debent. In excuſſione itaque Nominis

ſeſe offerunt tria illa communiſſima, nempe 1. Notatio nominis & Etymon, 2. Diſtinctio æquivoci, & 3. Synonymia ſeu æquipollentia terminorum. Quoad Etymologiam conſtat ex Lexicographis, quod Dyſenteria ſit vocabulum græcum, derivatur à δὺς, quæ vox difficultatem, & τὰ ἔντερα inteſtina denotat, quaſi difficultatem inteſtinorum Dyſenteriam vocaveris. Qvoniam autem Autores Practici diverſisſimas ſpecies difficultatis inteſtinorum inſcenam producunt, utpote primum Lienteriam, Cæliacam, iliacam & colicam paſſionem, tenesmum, tormina flatulenta, aliaque horrenda ſymptomata; Ea propter è re erit, ut pro nunc examinemus, qualem Autores Practici Difficultatem inteſtinorum per Dyſenteriam propriè intelligant; ubi probè ſciendum, quod non levem aliquam ac facilè ſuperabilem inteſtinorum difficultatem, ſcilicet diarrhœam bilioſam vel chyloſam aut pituitoſam intelligant, ſed maximè moleſtam, exitioſam & plerumque lethiferam, in quâ ſangvis, pus, ac inteſtinorum pituita, cum interiore tunica eroditur, abraditur & cum ſummis cruciatibus frequenter dejicitur, præterea ſimul obſervatur febris continua, ſingultus, inflatio ventriculi & ſitis interdum extingvibilis, & uno eodemq; tempore per multos ſimul inopinatâ morte è medio tollit, & quidem intra breve admodum temporis ſpatium, ita ut in quibusdam tubercula ac bubones, petechiæ & maculæ nigræ ac cæruleæ ſeſe offerant, & admodum parum à peſte differat, hinc hodienum nonnulli Practici hærent, utrum dyſenteriam aut febrim peſtilentialem cum dyſenterico fluxu appellare velint, quoniam ſemper habet malignitatem conjun-

junctam ; & talis præſentis erit inſtituti Germanicè vocatur die rothe Ruhr/ & quidem ſi ſangvis in nimiâ copiâ excernatur ; ſi vero mucoſa vel alba materia magis dejiciatur, tunc ſolent vocare die weiße Ruhr.

§. I.

Prævia Definitione Nominali ad realem nos convertimus & definimus ſequentem in modum: Dyſenteria eſt frequens copioſus varii coloris, maximè tamen cruentus, purulentus, mucoſus alvi fluxus, cum exquiſitisſimis ventris torminibus & cruciatibus, febri, ſingultu, nauſeâ, aliisque horrendis ſymptomatibus affligens, à præternaturali motu periſtaltico inteſtinorum, & fermento ſpecifico Dyſenterico dependens:

§. III.

De genere nunc quæritur, an nempè genuinum ſit genus materiæ ſangvinolentæ dejectio, eò quod Phænomenon quoque in hæmorrhoidum fluxu nimio obſervetur? ubi ſciendum, quod ſub uno genere ſæpius plures continenatur morbi ; & hoc modo inter ſe conveniant, verum ratione differentiæ ſpecificæ longius inter ſe differant. Alius ſiquidem eſt fluxus ſangvineus in fluxu Epatico, alius in hæmorrhoidibus, alius in lumbricis infantum, ubi quoque inteſtinorum parietes obſervantur eroſi, ut ſangvis profluat, alius eſt in febribus interdum Criticus à Plethorâ exortus, ubi ſæpius inteſtinorum vaſa ſangvine turgida rumpuntur & ſangvis ſuperfluus in inteſtina effluit, aſt tamen absque malignitate ; In Dyſentericis verò longe alius obſervatur ſangvinis fluxus periculoſisſimis ſymptomatibus ſtipatus, utpote cum ramentis inteſtinorum, puris & ſangvinis frequenti-

quenti & dolorificâ excretione, febri malignâ, ſingultu, vomitu, teneſmo, Lipothymiâ, quæ utplurimum inſanabilis exiſtit & virus ſuum longè lateque ſpargit, & in diverſis regionibus plures homines ſimul invadit, & ſæpiùs adeò vires reſumit & incrementum, ut ejus ferocia vix ac ne vix quidem in paucioribus quoque infringi poſſit.

§. IV.

Subjectum Dyſenteriæ malignæ ſunt inteſtina tam tenuia quam craſſa, quanquam ventriculus in quibusdam ſimul per conſenſum afficitur, ſed non ſemper, obſervarunt enim hactenus Practici, quod præſente Dyſenteria, appetitus in nonnullis adfuerit vigoroſus, ita ut feliciter comederint, & digeſtio & reſolutio alimentorum ſalva extiterit, quod certum exhibet ſignum, non ſemper ventriculum hic affectum eſſe. Alii Medici propter febrim malignam concomitantem pro ſubjecto adſtruunt ſangvinē in venis & arteriis præternaturaliter efferveſcentem, quoniam verò febris in principio non ſemper adeſt, & non prius quam poſt inflammationem inteſtinorum ſuccedere ſolet, ideoque etiam ſangvinem pro ſubjecto primario agnoſcere non poſſumus, verum pro febris habitaculo merito judicamus.

§. V.

Ordo nos nunc ducit ad examen cauſarum, cum autem variæ dentur, primum ſolliciti ſumus de *cauſa proxima ſeu immediatâ*, quæ eſt inteſtinalium fibrarum motricium continua irritatio ac punctio, ab inteſtinorum exulceratione & vaſorum ſangviferorum exeſione dependens. Talem verò exeſionem & exulcerationem

cau-

cauſantur mediatè humores omnis generis pravi, ſpecifico fermento Dyſenterico irretiti, qui cum ſangvine arterioſo per totum corpus vagantur, præcipuè verò ad inteſtinorum fiſtulam ruunt, eorumque interiorem tunicam glanduloſam intimius afficiunt, mordent, exulcerant, ſimulque intolerabilia in iisdem tormina excitant, qualia ſæpiſſimè à colocynthidis acrimonia producuntur. Hoc fermentum dyſentericum nidulatur utplurimum in ſucco pancreatico nimis acri & mordaci, non excluſâ bile corrupta æruginoſâ & porraceâ, id quod ex excrementorum virore ſatis ſuperque patet. Hinc *Paracelſus* cauſam mediatam hujus affectus accuſat 🜔 reſolutum: *Helmontius* acorem præternaturaliter ſe habentem & Archeum furiosè irritantem; *Sylvius* bilem & ſuccum pancreaticum præternaturaliter efferveſcentem *Williſius* ſuccum nervorum & nutritium redundantem & ad inteſtina translatum. Omnes quidem hæ modo recenſitæ cauſæ contribuunt ſuum ſymbolum, verum non ſufficiunt ad tales truculentas fermentationes & exitioſam febrim producendas, niſi virulenta fermenti dyſenterici qualitas ſpecifica accederet, quæ in omnibus ſubjectis eandem malignam ludit tragœdiam, in quibusdam gradualiter differentem. Talis gradus in principio eſt levior & remiſſior, quam ſucceſſu temporis, ubi hoc fermentum dyſentericum à continuante corruptione & cadaveriſatione inteſtinorum, gangrænâ videlicet & Sphacelo, adeò penetrabilem & virulentam qualitatem acquirit, ut inſtar peſtis tale virus operetur, ex uno ſubjecto in alterum transfundatur, imò per ſolum halitum, ſeſſionem in loco, in quo ægrotans ſederit, ſæpius quoque à clyſtere in dyſenterico adhibito & non probè abluto & applicato. Hoc miaſma dyſentericum

inſtar auræ malignæ inficit homines,adeò, ut imperſcrutabili modo pervagetur omnes totius corporis partes. A poſteriori verò deſcribere poſſumus operandi modum hujus fermenti dyſenterici, ex hoc nempè effluvia vaporoſa maligna aſſurgunt, quæ inſtar fermenti farinacei operantur, & agunt in humores omnis generis, eosdem fundunt, incidunt, & in minimas particulas dividunt, uti in purgantibus videre licet, præſertim colocynthidis adhibitione, ubi ſemper cum torminibus ventris humores liquat & expurgat, imò interdum facta nimis forti irritatione corruptiva humorum, ſimilis alvi fluxus attamen absque malignitate, cruentus exoritur. Eundem fermè effectum experimur in reſina gialappæ,ſi poſt hujus uſum cereviſia frigida ſuperbibatur, tunc enim non ſolummodo exceſſivè ſedes adauget, verum quoque vaſa arterioſa & venoſa erodit & diſcindit, ut ſangvinis effluxus ſubſequatur, qui extravaſatus in pus mutatur, unde ſangvinolenta atque purulenta diarrhæa ſuccedere ſolet. Atque talis effectus ab omnibus Draſticoteris exceſſivè adhibitis & intempeſtivè tractatis,expectandus erit, v.gr. ab Euphorbio, Scammonio, eſula, granatillis, aſaro, Mezereo, quæ omnia beneficio ⊖is mordicantis & cauſtici continuò pungunt, vellicant, erodunt, & parietes inteſtinorum ad continuam & nimis frequentem naturæ nimis hoſtilem excretionem ſtimulant, hinc tormina abdominis, anxietates præcordiales, ſumma virium proſtratio inevitabilis percipiuntur. Quod verò talia miasmata Dyſenterica per minima corporis antra penetrent, clauſtra perumpant, vaſa perfodiant, cum corporis conſumtione, illud ipſum deprehendimus in lactantibus, in quibus aërea vis purgans ex matris ſangvine infanti ſugenti com-

muni;

municata, per aliquot vices humores expurgare ſolet; quid non fiet à fermento dyſenterico longè ſubtiliori, interdum cadaveroſo, quod inſenſibiliter ſeſe multiplicare valet?

§. VI.

Ex ſex rebus nonnaturalibus anſam præbere poſſunt noſtro affectui, Aëris Anomalia & vitiata qualitas, quæ licet non omnimodè diſpoſitivè, tamen ad Dyſenteriæ malignæ productionem concurrere poteſt, adeò, ut ex uno loco in alterum talia miasmata ſecum transferat, quod fieri poteſt, ſi vapores tetri & maligni à pulmonibus inſpirentur, qui ex ſtagnantibus aquis & paludoſis, ex antris profundis & ſpecubus prorumpunt, in quibus aër diutius ſtagnans, fædam & uliginoſam acquiſivit putredinem. Hic non prætereundum contagioſum illud μίασμα, quod ex ſimili morbo affectis corporibus tam vivis, quam emortuis, in ſpecie aliquamdiu inſepultis relictis, & quod ex ægrorum dyſentericorum excrementis nimis diu retentis exhalare ſolet, quod ſucceſſu temporis magis magisque exaltatur & ſubtiliſatur, & incomprehenſibili modo ex uno ſubjecto in alterum transmigrat, ita ut cum Celeberrimo *Sydenham* exclamare liceat, *Tract. de Dyſenteria pag. 223. de anno 1670. 1671. & 1672.* Quo profundius in Naturæ opera penetramus, eò luculentius nobis affulget ingens illa varietas & divinum pene artificium operationum ejus, quæ captum noſtrum longiſſimè ſuperant; adeò, ut quisquis ille fuerit, qui in ſe receperit hæc omnia mente aſſequi, & multifarias Naturæ operationes κατὰ πόδα indagare, partim magnis auſis excidet, neque voti per omnia compos reddatur. Quo pertinet Divi noſtri ſenis Hippocratis τὸ θεῖον divinum illud, quod *Galeno* interprete in aëre qui-

 dem

dem eſt, ſed à cælo, & minus manifeſtis cauſis deducitur. Quanquam planetarum & aſtrorum malignum influxum in hæc inferiora nonnulli negent, nihilominus tamen eorundem efficaciam in hac quoque Dyſenteria agnoſcimus, licet non à priori, attamen ex effectu & poſteriori, uti ſæpius in ipſo aëre ſtellas cadentes obſervamus, quod talis materia delapſa ſit purè gelatinoſa & narcotica. Conſentientem quoque hac de re habemus celeberrimum *Williſium*, qui in *Pharmaceut. rationali p. m.* 77. ſequentia verba habet: Propter iniquam cæli influentiam & effluviorum communicationem, humores in alienam naturam, v. gr. acetoſam, acrem & per conſequens Dyſentericam degenerare ſolent. Hoc quoque deprehendimus ab aſtrorum mutationibus & eorum viciſſitudinibus factis, effluvia ſua in terram mittendo, præcipuè quando ♃ cum ☿, vel ♂ & ♄ nus in ♌ne, ♂ in aſcendente in M. S. ſine fortunato adſpectu obſervatur. Sic poſt æſtatem impenſe calidam & ſiccam circa æquinoctium autumnale utplurimum Dyſenteria ſubſequi ſolet, tempus enim autumnale ratione aëris ambientis humiditates & humores in corpore cumulat, ut vis putredinem faciens & materia putrida in corpore remaneat & febres exindè generentur, eadē verò ſi per ventres evacuetur, Dyſenteriam inducat. Si hyems ſicca & aquilonia fuerit, ver autem pluvioſum & auſtrinum, neceſſe eſt æſtate fieri febres acutas & dyſenterias. vid. *Hippocrat. lib. 3. aphor. 11.*

§. VII.

Aſſumta non ultimum inter cauſas nonnaturales locum occupant, quando nempè peccant qualitate & quantitate, avidè ingeſta, immodicè & immoderatè ſumpta & ventriculum gravantia. Præſertim ſi talismodi qualitatis

ſint,

ſint, ut facilè in acres & mordaces humores converti & putredinem ac corruptionem concipere poſſint, quorſum pertinet commeſtio fructuum horariorum autumnalium, ſecundum ſcholam Salernitanam: *Autumni fructus,caveas ne ſint tibi luctus*, inprimis autem hunc effectum producere poſſunt pruna verminoſa, cerea,rubra; Experientiâ enim teſte, ſæpius obſervatum fuit, quod à prunis,uvis, pyris, pomis,vel prunis cereis, cucumeribus, melonibus, fungis &c. multi inciderint in dyſenteriam. Potus cereviſiæ frigidæ, fæculentæ ac recentis multoties non ſolum diarrhoeam, verum quoque funeſtam Dyſenteriam induxit, teſte *Hildano in Obſerv. lib. 1. p. 426.* Sic quoque alia ex fructibus expreſſa potulenta,ob fæculentas & adhuc fermentantes particulas hic meritò accuſantur. Pertinent huc medicamenta purgantia fortiora ex colocynthide cum Vino præparata, item ☿ ialia & ☿ alia v. gr. ☿ vitæ, quæ ſi internè adhibentur, vi ſua acri ac cauſticâ inteſtinis facilè infeſta eſſe poſſunt. Somnus & vigiliæ, quando vel in exceſſu vel defectu peccant, fermentationem alimentorum in ventriculo depravare poſſunt, atque anſam Dyſenteriæ præbere, præcipuè ſi ſimul potationem nocturnam quispiam inſtituat; Hoc ipſo nempe ♌ animales & vitales diminuuntur,diſſipantur,& Digeſtio Stomachica turbatur, ac omnes humores acriores evadunt, hinc ſiccitas faucium dependet & ſitis indelebilis. Quale Animi pathemata imperium in corpus noſtrum habeant, hoc teſtatur & confirmat quotidiana experientia, præ aliis tamen ira maximam partem ad hoc malum contribuere videtur, ab hac ſiquidem bilis valdè commovetur, hinc humores bilioſi maſſam ſangvineam ad febrilem & inordinatam effervescentiam compellunt, & ſuis coinquinamen-

 tis

tis totum corpus pervagantur,& ſi accedat ipſa imaginatio, præſertim graſſante Dyſenteria Epidemicâ, tunc facilius hoc malum ex uno in alterum transfundi & excitari poteſt. Quicquid nempè in corpore latitat morboſi, illud ex hâc cauſa ſimul in fermentationem præternaturalem commutari poteſt. Similiter à quiete nimia colluvies humorum peccantium indies cumulatur, à motu verò excedente, ſaltatione, equitatione, humores magis magisque excandeſcunt cum ♌tibus vitalibus & animalibus, & ad rebelles motus diſponuntur. Excreta & retenta paulò longius in corpore retenta & diutius moram in illo trahentia, corrumpuntur, magis magisque putrefiunt, ac miasma tale relinquere ſolent. Uno verbo, hæ omnes nonnaturales cauſæ, quo magis à ſtatu naturali recedunt, eò pejores malignioresq; aut etiam venenatas qualitates in nobis cumulare, anſamque dare poterunt, ut corpus noſtrum ad receptionem ab extra adventantium vitioſorum contagiorum aptius & magis diſpoſitum reddatur.

§. IIX.

Signa Diagnoſtica de Dyſenteriâ imminente & præſente teſtimonium exhibent, imminentis ſigna ſunt, quando autumnali tempore contagium dejectionis graſſari incipit, & eo tempore, quo ad maturitatem tendunt fructus horarii, qui à temerariis intemperanter deglutiuntur, & ſic corpora ſua cruditatibus infarciunt, & ad tales morbos diſponunt. Poſtmodum inſeqvuntur diarhææ, excrementa fluidiora, quibus accedit levis horripilatio, ventris dolor, flatus, ructus, ciborum faſtidium, alvi perturbatio, tandemque inordinata excretio. Præſentis Dyſenteriæ ſigna per ſe fiunt manifeſta, tam ex varia liquida bilioſa & cruenta vel purulenta excretione, quam etiam frequenti continuâ & inevitabili fæces egerendi cupiditate, teneſmo & ani procidentiâ ſubſequente.

§. IX.

Signa Prognoſtica quod attinet, tunc ſciendum, quod difficilioris

lioris Curationis ſit hodienum graſſans Dyſenteria, reſpectu ægro. tantis, quando non ſtatim in principio aperit Medico tormina & dejectiones crebriores, quo magis enim hoc malum altas radices egerit, eò pejus fieri aſſolet. Cibi faſtidium ſemper portendit aliquid mali, & cum febri pejus, & ſi velut carunculæ dejiciantur, lethale eſt ſecundum *Hippocratis* §. *16.* & *24. Sect. 4.* Ulcus profundum difficillimè curatur, inprimis, ſi in tenuibus inteſtinis hæreat hoc malum, medicamenta enim non tam citò eò poſſunt penetrare. Interioris tunicæ inteſtini eroſio ſimplex facilè admittit Curationem. Diuturniorem dyſenteriam ſubſequitur hydrops & tandem inopinata mors. Si per vomitum vermes dejiciantur, ſemper moriuntur, inprimis ſi accedat ſingultus & animi deliquium. Ad ſalutem terminatur, quando excrementa aut ſuaſponte, aut per medicamenta bene operantia non in deterius labuntur, ſed potius in meliorem commutantur ſtatum, & naturali magis convenientem, præcipuè ſi ætas & vires conſentiant, ſi febres & dolores remittant; Si ructus & flatus cum cæteris chylificationis ſignis ſuperveniant.

§. X.

Breviſſimis nunc aggredimur curationem tam præſervatoriam quam curatoriam, ubi ſtatim in principio ſecundum conſilium *Divi noſtri Senis Coi. Sect. 2. §. 29.* procedendum; irruentibus morbis ſi quid movendum videatur, move. Ut itaq; materia peccans, ſtimulans & mucoſa ex inteſtinis excludatur, pro hoc ſcopo conveniet. Rhab. toſt. orientale, ad ʒj. in juſculo calido exhibitum, *Celeberrimus Wedelig* in ſuâ Diſputatione de Radice Ipecacuanhæ Americana & Germanica, tanquam ſingulare & ſpecificum antidyſentericũ in principio eandẽ commendat, quod remedium in permultis hactenus feliciter profuit. Præmiſſis verò hice ſudorifera & Bezoardica præſcribenda, utpote Diaſcord. Sylv. Theriac. Cœleſt. item Eſſent. anti-Dyſenter. *Excell. Dn. Decani Præſidis* cum extract. tormentill. 🜃 ☉ ſigillata, 🜃 balſamica ⊕li lapid. Hæmatit. Axungi ☽. Unicorn. foſſil. Eſſentia baccarum myrti cum Tinct. 🜃 Catechu, & Eſſent. Orvietanâ, uti & Ω Maſtich. compoſ. combinatam ita efficit, adeò, ut humorum acrimoniam mitiget hocce remedium non ſolum, verum quoque malignitatem arceat, inteſtina conſolidet, & ab ulteriori corroſione & exulceratione præſervet. Hunc in finem tam præſervatoriè qvam curatoriè conveniet ſequens pulvis. ℞. Pulv. Dyſenter. Croll. 🜃 ſigillat. alb. ãã ʒß. Radic. biſtort.

tor-

tormentill. ana ℈j ſpin. viperin. gr. xvj. Theriac cœleſt. gr. vj. M. F. pulv. Divid. in 6. part. æqv. D. S. Anhaltendes Pulver alle Morgen und Nachmittags umb 4. Uhr eines einzunehmen/ in ▽ cinamomi. cydoniatâ.

Magnum qvoqve levamen ſolet afferre in vigiliis nimiis à torminibus ventris exortis, ſeqvens Emulſio: ℞. Amygd. dulc. Ambroſin. excortic. ℥ß. Sem. papav. alb. ʒ.j. C.C. uſt. præparat. ʒß. c. l. q. ▽ plantag. tormentill. meliſſ. ſanicul. ãã ℥j. F. l. a. Emulſio, Colaturæ adde Corall. rubr. præparat. Ocul. ♋ cærul. ãã ℈j Eſſent. opij. gtt. viij. M. D. in Fictili. S. Ruhebringende Milch 2. Löffel voll auf 1mahl zu nehmen / zuvor aber wohl umzurütteln. In infantibus ſeq. pulv. contra malignitatem eſt expertiſſimus. ℞. Pulv. Bez. Senn. rubr. ʒß. dyſenteric. Croll. ℈j laud. opiat. gr. ij M. F. pulv. Doſ. gr. xij. l. xv. in ▽ cinamom. cydoniat. Externè Theriaca vel ſola cum Balſamo Peruviano, aut ☍ NM. mac. caryoph. applicetur ventriculo. Item cruſta panis toſta & cum aceto Roſaceo humectata, ac cum pulv. NM. caryoph. cinamom. conſperſa, in Dyſenteriâ egregiè confert. A nonnullis omenta brutorum abdomini calidé applicata mirum in modum laudantur. Item excrementa pulv. Sympathetico inſpergantur, & mediantibus hiſce debito modo adhibitis, qvilibet ſibi promittere poteſt ſperatum & ſalutarem eventum. Qvod ſi mucoſa materia in ano acredine ſuâ ſtimulet inteſtina ad excretionem fruſtraneam, Clyſter ex lacte chalybeato cum Therebinth. Venet. permixta proderit.

§. XI.

Ultimatè Diætæ regimen non negligendum, Aër itaqve ſit purus & corrigatur per pulverem ex ſuccino, maſtiche, tacamahac, thure præparatum. Cibus & potus ſint alimenta facilis digeſtionis, Motus & qvies, ſomnus & vigiliæ, Animi pathemata limites non excedant, & qvemadmodum ſupra monitum eſt, vitãda omnia, quæ anſam Dyſenteriæ præbent, quæ cane pejus & angve vitentur. Excreta verò & retenta non in Cloacam, ſed in flumen aliqvod effundenda, vel terræ mandanda, vel in diſſitum locum removenda, ne adſtantes & alii ab eorum effluviis & ſeminiis inficiantur. Inſpicientes eadem præſervatoriis ſint muniti remediis, & ſic ſperandus erit exoptatus

F I N I S!

SOLI DEO GLORIA!